



PRÆFATIO

Ad Benevolum Lectorem,

Nè quis præcedentiam prætendat in Processione Mortuorum.

**M**ittitur in lucem Processio mortis ; in illa  
Invenies varios, Lector amice, status.

Non tamen inceptum potui deducere carmen,  
Effet ut in metris omnis in orbe status.

Scire quis hos omnes posset? Mors cæca scit omnes;  
Sed mihi præcipuos sit tetigisse satis.

Quos ego non memini, voveant optentque, vicissim  
Ut mors illorum non meminisse velit.

Sed vos, quos Mortis Processio longa recenset,  
Bellum pro primo nè sit honore, rogo.

Trasci nolite mihi, si fortè præibunt,  
Qui vos deberent hoc in honore sequi,

Et memores sitis, quod sit processio Mortis;  
Scitis enim, quo Mors ordine quemque rapit.

Dux, Prætor, Cæsar, Cantor, Baro, Pictor, Arator,  
Rex, Doctör, Stultus, Caupo, Viator, Eques,

Navita, Chirurgus, Sartor, Venator, Ephæbus.  
Sutor, Arithmeticus, Pistor, Agaso, Coquus,

Magni cum parvis, juvenes cum grandibus evò,  
Ordine confuso Mortis inimus iter.

*Cum rudibus doctus, dives cum paupere tendit,  
Mors omnes homines judicat esse pares.  
Non opus est ergo, cur præcedentia strictè  
Servetur, siquidem nulla tenenda foret.  
Insuper ad Mortem rari præcedere malunt,  
Ultimus e contra quilibet esse cupit.  
Hinc condonandum credo, veniamque requiro,  
Quòd non procedant ordine quique suo.  
Mors est directrix; si non bonus ordo tenetur,  
Debebit Morti, non mihi, culpa dari.*

---

## AD LECTOREM, ET AUDI- TOREM.

### *De Doctrina Mortis.*

**D**isce mori, quicumque legis mea carmina Lector!  
Quisquis es, Auditor! tu quoque disce mori.  
Disce mori, quicumque cupis caelestia regna;  
Si vis cum Christo vivere, disce mori.  
Disce mori, si vis animam salvare perennem.  
Hæc est in cunctis unica, disce mori.  
Disce mori; si morte malâ moriêre, misellus  
Semper eris: quare flagito, disce mori.  
Disce mori; si morte bonâ morierê, beatus  
Semper eris: quare consulo, disce mori.  
Disce mori; fugiunt cira tempora, labitur ætas;  
Dum breve tempus habes, incipe, disce mori.  
Disce mori; nam, quando tuos Mors claudet ocellos,  
Tunc serum nimis est, hinc modò disce mori.  
Disce